Todeo todes toduivel todi.n.s.i.moueri tremere ad modũ tode.⁊ dr̃ a toda.

Tolero ras raui.a.p.i.sustinere pati sufferre ⁊ scribi dz p vnum l.hz eñ primã breuẽ. vnde Ouidius de arte. Dum vires animũ〈que〉 sinũt tolerare labores. Nam venit tacito curua senecta pede

Tollo lis.i.eleuare ⁊ tollere.i.auferre. ꝭ tollimus a volente eripim⁹ vi.auferim⁹ qȯ dedimus.Et tollere.i.nutrire.⁊ tollere.i.portare vel sustinere.⁊ caret p̃terito ⁊ supino. ꝭ accipit mutuo tuli vel sustuli.Antiqui eñ dicebant tulo lis tuli vel tetuli tultũ.Et inde cõponebat̃ sustulo lis sustuli qȯ mõ nõ est ĩ vsu in p̃senti.⁊ ideo datũ est eius preteritũ huic verbo tollo.quod signat auferre vel eleuare ⁊ composita similiter possunt accipere p̃teritum a compositis illius ꝙuis nõ omnia. itẽ tollȯ cõponitur attollo lis attuli.i. valde tollere.Extollo extuli. Sustollo sustuli.i.sursũ tollere.⁊ est actiuum tollo cum suis compositis.ꝭm Hug.Similiter tuli dat̃ pro p̃terito huic verbo Fero.Pris.autem in decimo libro sic dicit.Tollo tetuli pro quo nunc in vsu frequenti est sustuli.Atulo quo〈que〉 deveteribus quod fuit in vsu tetuli dicebant. tollo quo〈que〉 deficit supino.sed pro eo vtimur ꝭblatum.Suffero etiam facit sustuli sed in alia signatione. De signationib⁹ hui⁹ verbi tollo cõsueuit a quibusdam dici.qui remouet tollit.q̃ sublimat quo〈que〉 tollit.⁊ ꝓ nutrire tollere sepe dat̃. Item q̃ tollit remouet gerit erigit accipit aufert.

Tondeo es totondi tonsum.a.s.i.capillos secare vel aliud ⁊ diminuere ⁊ in circuitu corrodere. Inde hic tonsor. Pertinet etiã tondere ad oues. Unde.j.Reg.xxv.Audiui ꝙ tonderent pastores tui gregẽ. Inuenit̃ etiã tundo dis dis.p u.tercie cõiugationis ꝭ aliud signat. Unde Tondem⁹ barbas vel oues sed tundimus herbas. Tondeo dat tonsum sed p̃bet tundere tusum. Dat tundo tutudi. sed dat tondere totondi.

Tondito tas.frequen.de tondeo des.

Tono nas tonui itum.id est tonitruum facere ⁊ cõuenit soli deo. Unde solum in tercia persona dicitur inueniri. Inuenit̃ tamen in prima ⁊ secunda ꝑsona ꝑ ꝓsopopeiam.i.ꝑ translationẽ.vt tono. i.sono vel fortit̃ clamo. ⁊ ꝑ apostrophã. Tono cõponit̃ attono nas.i.stupefacere.cõtono nas.i sil̃ tonare.intono as i.sonare. Tono neutꝝ ẽ ⁊ cõposita p̃ter At tono.quod est actiuũ. ⁊ omnia faciũt preteritũ in ui ⁊ supinũ in itũ.licet qñ〈que〉 inueniatur facere in aui ⁊ in atũ ꝭm antiquos ⁊ oĩa cor. hanc sillabã to.Et nota tono absolutũ est vt deus tonat. Inuenit̃ tñ etiam qñ〈que〉. deus tonat aerẽ.q2 v̾bũ transitiñ tũc intelligit̃ ĩ eo id ẽ tonare facit vl̾ tonitruo ꝑcutit et mouet ⁊ tangit. Sil̾r. Pluet sup̱ pctõres laqueos ignis.i.q̃si pluẽdȯ.i. subito ⁊ abũdant̃ emittet.⁊ cor. p̃mã tono. vñ Esop⁹. Dũ fortuna tonat fugitiuos terret amicos.

Tonso sas.frequen.a quo tonsito as.aliud frequentatiuũ

Tormento tas.i.tormento afficere. Iñ tormẽtuosus sa sum.qȯ ⁊ tormentosus dr̃

Torno nas.i.torno aptare.in girũ mittere vel voluere.instrm̃.s.tornũ

Torpeo pes pui.⁊ caret supino.i. languere pigrere ⁊ deficere stupere mutere quadã admiratione vel timore affici. Iñ hic torpor oris ⁊ torpesco scis incho.

Torqueo ques torsi torsum vel tortũ.a.s. id ẽ cruciare .⁊ torquere.id est flectere voluere vl̾ mittere iaculari.

Torreo res rui tostum.a.s.i.vrere assare siccare cremare vel vertere siue soluere.vñ Theodolus. Ethiopũz terras iam feruida torruit estas. Torreo facit torrui in p̃terito ⁊ tostum in supino. Inuenit̃ etiam torritum tu. De signationibus huius verbi solet dici. Qui torret voluit siccat cremat assat ⁊ vrit.

Torresco scis a torreo verbum incho. quod accipit̃ qñ〈que〉 impropriꝫ in actiua signatiõe. absoluta.i.aresere.

Toxico cas.a.p.i.venenare veneno inficere ⁊ componit̃ intoxico cas.

T ante R

Tracto tas verbũ frequentatiuũ a traho is qȯ videtur distare a significatione sui primitiui sed penitus non distat. Nam qui aliq̃d tractat quodãmodo illud trahit. Est eñ tractare sententiam frequenter huc ⁊ illuc trahere ⁊ tractare est ad libitum trahere. Inde tractus ta tũ.⁊ hic tractus tus tui.⁊ tractim aduerbiũ.i.lente

Trado dis.tradidi tum.a.t.id est ꝓdere dare. vel trãsferre.⁊ dr̃ a trans ⁊ do das. ⁊ abijciũtur n s.vñ. Qui tribuit tradit tradit iniqu⁹ homo. Inde hic traditor oris.i.proditor.vt Iudas est traditor.i.dator.

Traduco cis duxi ductum.a.t.id est ad vlteriora ducere.vltra ducere.publicare.⁊ dicitur a trans ⁊ duco cis.⁊ abijciuntur n s. Unde in psal̾.debet dici. Qui traduxit populum suuz per desertum.Et Math.i. Ioseph cum esset iustus ⁊ nollet eam traducere.id est producere ꝭm glosam vnam. ⁊ greci habent propalare ⁊ redit in idem, Quod enim manifesta-

tur quasi de tenebris ad lucem traducit. Jñ
traductus ta tum. ⁊ p. du.

Trabo his traxi tractũ. a. t. i. extendere rapere.
ampliare educere.

Traijcio cis ieci ctũ. a. t. i. vltra iacere vel pfo
rare vel transfigere. Jnde traiectus ta tum ⁊
hec traiectio onis. i. vltra iactio. ⁊ ponit᷑ pro
mercium trãsportatione. vnde Eccli. xxxvij.
Cum negociatore de traiectione. cum empto
re de venditione tracta.

Trano nas naui. n. p. i. vltra no. vl᷑ nato vl᷑ trã
seo. ß ꝓprie de mari dr̃.

Transcendo dis di sum. n. t. id est vltra scande
re. ⁊ dicit᷑ a trans ⁊ scando dis ⁊ abijcit᷑ s. ⁊
sic scribitur per vnum s. quia nec ante conso
nantem nec post consonantem debet fieri ge
minatio consonãtis. vt asto ascendo transcẽ
do. nisi altera earum fuerit liquida vt suppli
co supprimo

Transeo is iui itum. id est vltra ire. ⁊ dr̃ a trãs
⁊ eo is. ⁊ est s. de ꝓma sillaba. ⁊ ꝑpositio de⸗
bet sillabicari per se

Transfero fers transtuli trãslatũ verbum acti
uũ. id est vltra ferre. vel de vno loco ad aliũ
ferre ⁊ dicitur a trans ⁊ fero. Jnde transla⸗
tus ta tum id est traductus siue vltra duct⁹.
transportatus. ⁊ hic translator toris.

Transfiguro ras. a. p. i. transformare. s. vltra in
aliam figuram mutare

Transfreto tas taui. a. p. i. vltra fretũ ire. mare
transire. ⁊ dr̃ a trans ⁊ fretũ ⁊ cor. fre.

Transfugio gis fugi. a. t. id est vltra alium fu
gere. ⁊ dicitur a trans ⁊ fugio gis. Jnde hic
⁊ hec trãsfuga ge. qui de vno exercitu fugit
in alium. ⁊ cor. fu.

Transgredior eris. d. t. i. vltra gradi. preuari⸗
cari. ⁊ dr̃ a trans ⁊ gradior

Transgulo. las. a. p. i. vltra gulã deorsum im⸗
mittere. s. transglutire.

Transigo gis. transegi transactũ. a. t. id est vl⸗
tra agere vel litem decidere. quasi actionem
transire. Jtem trãsigere. i. componere. Jnde
transigens ꝑticipiũ qd̃ capit oĩes sui verbi
signationes. ⁊ hec transactio onis.

Transmeo meas. n. p. i. vltra meare ⁊ dicitur a
trans ⁊ meo as.

Transmigro gras graui. id est vltra migrare.
transire. vnde ps̃. Trãsmigra in montem si⸗
cut passer. ⁊ cor. primaȝ naturaliter. vñ trãs⸗
migro gras. pe. grauat. licet in aliquibus ec
clesijs acuatur. Unde zozimas de maria egy
ptiaca. Heu inquit quid tentaui que qualis
⁊ vnde migraui. Jn versu tamẽ migro habȝ
primam cõmunẽ

Transuado das daui. n. p. i. vltra vadare trãs⸗
uadũ ire vel transuadũ ducere. ⁊ dr̃ a trans
⁊ vado das. ⁊ cor. va.

Transuerto tis. a. t. i. vltra vertere vel ad ali⸗
qd̃ vertere obliquare. Jñ trãsuersus sa sum

Transpono nis. a. t. i. ordinem mutare

Tremo mis mui mituȝ. n. t. i. pauere palpitare
nutare timorem monstrare. Jñ tremend⁹ da
dum ⁊ tremebund⁹ da dum. i. similis tremẽ⸗
ti. Et hic tremor oris ⁊ tremorosus sa. sum.
Jtem tremo componit᷑ cum facio ⁊ fio. vt tre
mefacio facis tremefio fis Jtẽ tremo compo
nit᷑ extremo mis cõtremo mis. intremo mis.
Et incho. hinc contremisco extremisco intre
misco. Tremisco scis inchoatiuuȝ. i. incipio
tremere. Uñ Dañ. vlti. Tremiscant ⁊ paue⸗
ant deum danielis. ⁊ cor. pe. Unde in Auro
ra dr̃ Signa decem pharao tremuit siccũ ma
re fluctus. ⁊ cor. pe. infinitiui. Uñ in ps̃. de⸗
bet cor. me. Qui tangit terram ⁊ facit eã tre
mere. Jtem Esa. lxvj. Qui tremitis ad ver⸗
bum eius pe. cor.

Tremulo las. n. p. i. tremere ⁊ trepidare.

Treneo nes. i. lamentari voce tristi dolorẽ ex⸗
primere flere dolere conqueri.

Trepido das daui. n. p. i. formidare. Uñ ꝓphe
ta. Jllic trepidauerunt timore. Jñ trepidus
da. dum. i. timidus.

Treugo treugas. n. p. i. securare pacificare treu
gam facere.

Tribulo las laui. a. p. i. tribulationẽ inferre vl᷑
pati. ⁊ tribulor laris depo. g. in eodem sensu
Jnde hec tribulatio onis. id ẽ persecutio ad
uersitas.

Trico cas caui. a. p. i. decipere vel impedire vl᷑
demorari. Unde quidam ad beatam mariaȝ
dicentem. Quomodo fiet istud quoniã virũ
non cognosco inquit. Quid vitam tricas in
mundo. Jtem tricare. i. tricas capillorum fa
cere. ⁊ est verbũ ꝑtinens ad mulieres que tri
cant crines suos quos in tres partes diuisos
subtiliter complicant ⁊ inuoluunt. ⁊ huius⸗
modi inuolutio trica dicit᷑ quasi tria capiẽs
id est in tres ꝑtes crinium. Unde Eccli. xxxij
Et hora surgendi non te trices. i. non sis pi⸗
ger. vel nõ facias moram in componendo ca
pillos sicut mulieres faciunt. vel nõ sis mol
lis vt effeminatus qñ debes strennue opera
ri. Alia lr̃a inuenit᷑ in biblijs correctis. Ho⸗
ra surgendi nõ te tristes. Uñ dicit glosa Ra
bani. Admonet ne simus tristes vl᷑ tardi. i. di
sciplina ⁊ meditatione sapientie. Per hoc ꝙ
dicit. ne simus tristes exponit qd̃ dicit. nõ te
tristes. Per hoc ꝟo ꝙ addit. vel tardi videt᷑
innuere ꝙ alia littera ibi inueniatur. non te
trices. Quidam ꝟo dicunt ꝙ tetrices est ibi
vna dictio. vt dictum est supra de nominib⁹ i
tetricus. Jtem trico componit᷑ contrico cas
districo cas. id est dissoluere expedire. extri⸗
co cas id est expedire exoluere aperire. intri
co cas id est impedire vel inuoluere vel im⸗
morari. retrico cas. id est iterum tricare vl᷑ tri
cam soluere. ⁊ est actiuum cum omnibus su⸗
is compositis. ⁊ producit tri. Unde in Gre⸗

el[?]mo dicitur. Impedit intricat nec non inuoluere signat. Extricatq; sapit expedit aut aperit.

Tripertior ris. ⁊ tripertio tis. ꝑ eodē vide impartior tiris

Triplo plas. a. p. i. triplum facere

Tripudio as. n. p. id ē tripudio letari. exultare gaudere vel victoriam habere

Tristor aris. d. p. i. dolere tristem esse. Inuenitur etiā tristo stas in actiuo genere. i. tristem facere turbare. Et vtrūq; componit̄ cōtristo stas ⁊ contristor aris

Trito tas. i. frequenter terere. ⁊ ꝓdu. primam. Vñ Facet⁹. Quos vult sors ditat. quos nō vult cum pede tritat

Trituro as. n. p. id est terere trituraȝ facere de palea granū. conterendo eruere. Vñ. i. Cor. ix. Et qui triturat in spe fructus percipiendi ⁊ produ. pe. sicut tritura nomē. Unde i Anticlaudiano dicitur. Delectamq; solo pedibus triturat equinis

Triumpho phas. a. p. id est triumphum habere exultare vincere. Inde hic ⁊ hec triūphalis ⁊ hoc le.

Trucido das daui. a. p. id est interficere iugulare secare. ⁊ quasi cede vel cedendo trūcare ⁊ dicitur a trūco cas. ⁊ cedo vel cede. vñ trucidare quasi truncando cedere. ⁊ produ. ce. Unde Oratius in epi. Uinum seu pisces seu porrum ⁊ cepe trucidas

Truculo las aui. a. p. i. trucidare

Trudo dis trusi sum. a. t. i. impellere. impingere. ⁊ in custodiā includere. ⁊ ꝓ. tru.

Trunco cas. a. p. i. caput auferre diminuere debilitare ⁊ dr̄ a trūcus

Trutannizo zas. n. p. i. vitam ⁊ mores trutānorum gerere

Trutino trutinas. a. p. id ē librare equipēdere Et dicitur a trutina. vel vt dicit Pap̄. Trutinat appensat extimat. ⁊ corr̄. tru. Vñ Ora. in epi. Scriptores trutina non est ꝙ multa loquamur

T ante V

Tubero ras. a. p. i. inflare supbire vel tuberib⁹ implere. ⁊ cōponit̄ contubero ras. detubero ras. i. purgare vel equare

Tutico cas. a. p. i. ꝑcutere cum malleo

Tulo lis vide supra in tollo lis.

Tumeo mes. n. s. i. surgere crescere. inflare supbire. Inde hic tumor oris. ⁊ tumesco scis inchoa. Tumeo neutrū ē ⁊ caret supi. ⁊ cor. tu. vñ Ora. in poetria. Uesanū tetigisse tument fugiantq; poetā. ⁊ in aurora dr̄. Hic tumet ille timet. fugit hic hostem fugat ille

Tumulo las. a. p. i. sepelire. Inde tumulatim aduer. ⁊ cor. mu.

Tumultuor aris. d. p. i. tumultū facere. Iñ tumultuarius ria riū.

Tundo dis. tutudi tusum. a. t. i. ꝑcutere verberare conterere. confringere. ⁊ cor. tu.

Tunico cas. a. p. i. tunicam induere.

Tuor eris. tuitus sum. d. t. i. inspicere vel defendere ꝓtegere. Inde tueor eris. tutus sum. secūde ꝯiugationis. i. inspicere. defendere ꝓtegere. ⁊ ſm Priscia. idem signāt tueor ⁊ tuor et ambo sunt verba deponentalia. Et tuor facit supinū in tuitū. Tueor ꝟo scđe ꝯiugationis facit tutū. ⁊ ambo habent tueri in infinitiuo. vnde Pro speculor dicis ⁊ ꝓ defendo tueri. Dat tutū tueor tuitū tuor ambo tueri. Item nota ꝙ tuor raro inuenit̄ ꝓ defendere ⁊ sepius ꝓ inspicere. Ecōuerso tueor raro inuenitur ꝓ inspicere ⁊ sepe ꝓ defendere.

Turbo bas baui. a. p. id ē precipitare confundere commiscere obscurare. ⁊ dicitur a turbo inis. Inde turbidus da dū. ⁊ hec turbiditas tatis. ⁊ est turbidum de natura. turbulentum vero fit. Et a turbo bas dicitur turbido das id est turbidum facere. ⁊ turbatus a. um. Et turbatio.

Turbulento tas. id est turbulentum facere.

Turgeo es. tursi. tursum. n. s. i. inflare. tumere Inde turgesco scis. inchoatiuū.

Torpo pas. a. p. id ē indignare turpeȝ facere. Iñ turpeo es. i. esse vl' fieri turpem. Iñ turpesco scis inchoa. Turpo componit̄ deturpo pas.

Tussio sis tussiui. tussitū. i. torqueri a tussi. ⁊ dicitur a tussis. Inde hic tussitus tus. ⁊ tussito tas. frequentatiuū. pe. ꝓducta.

Tutelo las. a. p. id ē defendere. Iñ h̄ tutelatio. onis. ⁊ h̄ tutelamen inis. ⁊ h̄ tutelatus tus ⁊ h̄ tutelator. i. defensor. ⁊ ꝓdu. te.

Tutor aris. i. frequenter defendere seruare ⁊ dr̄ a tueor eris. Et componitur cōtutor aris. vñ entiqui dicebāt contuto tas. Unde Baruth vj. Sacerdotes seris ostia tutant.

V ante A

Vacillo las. a. p. id est titubare instabilē esse tremulare. labare. trepidare. et dicit̄ a vaco cas. Iñ facillans participiū. ⁊ ꝓdu. va. vñ Ouidi⁹. meta. Spes mea vacillat subtili pedula filo.

Vaco cas caui. n. p. i. esse vel fieri vacuū. ⁊ liceȝ videat̄ ad alias signationes trāsferri. tamen oēs redolent illā. Dr̄ enī vaco lectioni. id est insisto lectioni. ⁊ operā do. ⁊ vaco a lectione id est cesso vel deficio a lectiōe. Vaco numis id ē careo. Sed oēs iste signationes redolēt primā. cū eī dico vaco lectioni idē ē ac si diceret̄ vaco ab alijs rebus ⁊ insisto lectioni. Iñ vacat impsonale. id est esse vacuū vel licitum esse vel oportunū. Unde vacat mihi legere. id est oportunitatem legendi habeo. ⁊ nō impedior ab alio negocio. Vaco neutrū ē ⁊ corrī. va. Unde Lucan⁹ in. v. Fata vacent ꝓcerum motus hec cuncta sequent̄. Pap̄. vero

dicit. Vacat operam dat vel deficit a vacuo dictum qui em̄ vacuus est a ceteris operibꝰ interdum vni vacat. id est operam dat. interdum nihil agit

Vacuo as aui. a. p. ⁊ ſm Pap̄. vacuat. i. inanit quod intus ē aufert. Inde vacuus a ū. i. vanus ociosus destitutus sine eo ꝙ habuit. ⁊ cor. primā. vn̄ Oui. Da vacue menti quo tueatur opus. ⁊ componit̄ cum factus ⁊ dr̄ Vacuefactus ta tum. vn̄ Job. xiij. Et fluulꝰ vacuefactus arescat

Vadio as. a. p. i. in vadio ponere. vadiū vel pignus alicui dare. ⁊ cor. va. ⁊ componit̄ conuadio as inuadio as obuadio as. i. ꝯtra aliū vadiare. reuadio as. i. repignorare a vadio recolligere. Subuadio as. id est post vel latenter vadiare

Vado das aui. n. p. i. ꝑ vadū trāsire vel ꝑ vadū ducere. vt vado istū vel vado equū. ⁊ componitur peruado das. reuado das. transuado das. ⁊ est neutrum vado cū suis compositis pro transire ꝑ vadum. In alia significatōne est actiuū. ⁊ cor. va. sicut vadum. Sed vado dis. primā produ. Unde. Vado viam vado quadrupedem vadio vadium do. Et vado illud idem significare solet. Prima vado lego. tercia vado lego

Vado dis. si sum. i. ire vel ꝑgere. ⁊ componitur conuado dis euado dis. id est extra vadere. effugere liberari. inuado dis. id est impetere aggredi arripere. Peruado dis. id est ꝑfecte vadere vel ꝑ aliqd vadere. Vado ⁊ eius cōposita neutra sunt. p̄ter inuado qđ ē actiuū. ⁊ ꝓ. va. vnde Pamphilus. Et modo vadit eques qui solet ire pedes

Vador daris. i. in vadē ponere vadem dare vt ego vador illū tibi. i. do illū in vadem tibi ⁊ dr̄ a vas dis. Vel vadari. i. vocari ad iudiciū ad placitū vel fideiubere vel litigare vl̄ polliceri. ⁊ erat cōe olim. ſ mō depo. ⁊ nō ꝑtinet solū ad homies. ſ etiā ad aialia bruta. vt vador tibi equū meū. ⁊ cōponit̄ cōuador aris. euador aris. i. poscere flagitare vel a vadiatione liberare remouere. reuador aris. i. vadem recolligere. ⁊ ē depo. cū suis ꝯpositis. ⁊ cor. va. sicut vas vadis. vn̄ Ouidiꝰ de reme. Iamqꝫ vadaturus leticia ꝓdeat inquit

Vagino nas. n. p. i. facere vaginas. ⁊ componitur euagino nas. i. extraho de vagina. Inuagino nas. i. in vaginā mittere

Vagio gis giui. vel vagij itū. n. q. i. plorare flere. ⁊ est ꝓprie infantiū. ⁊ dr̄ a vagus a ū. Et inde hic vagitꝰ tus tui. i. ꝓprie clamor infantiū. ⁊ vagito tas. i. frequenter vagire vel violenter. ⁊ ꝓ. pe. ſ vagus eā cor. vn̄. Nos quasi vagitu deficiente loq̄. Item. Siluis pasce vagis in cunis tu petre vagis

Vagor aris atus sum. d. p. id ē spaciari errare. huc ⁊ illuc discurrere. Inde vagabundus a um. ⁊ vagus a um. Quod autem dicitur vagus. quasi a via actus vel vagari quasi a via agi. i. sine via vl̄ vagari. q̄si vagū agi. etymo. est. Inde h̄ vagitas tatis. ⁊ cor. va. vn̄ Luca. Nobilitas cū plebe patet lateqꝫ vagat̄. Itē in Aurora. En vagꝰ ⁊ ꝓfugꝰ ⁊ maledictꝰ eris

Vagurio ris riui. id est ꝑ ocium vagari.

Valeo les lui. litū. n. s. id est vigere sanuꝫ esse vel posse vt preciū denotat. Et valeo. id ē pereo. vel infirmor. Unde Terentiꝰ Valeāt q̄ inter nos discidia querūt. Et hinc inuenitur quoddā verbū defectiuū qđ ꝑtinet ad salutationē in recessu. scꝫ Vale valete. valeto. valetote. id ē valere. qđ olim solebat dici mortuis post pactā sepulturā ab amicis qđ erat signū qđ nō debebāt ampliꝰ eos videre. Et qꝛ tale vale erat signum doloris ⁊ tristicie ⁊ meroris inde tractū ē vt valeo ponat̄ ꝓ perire vel infirmare. Item a valeo les. dr̄ valesco scis. inchoa. ⁊ cor. va. Unde Ouid. de reme. Ut valeas animo q̄cq̄ꝫ tolerare negabis. Et in grecismo dr̄. Accipitur valeat ꝓ queat et pereat Qui valet ille potest defectiuūqꝫ salutat. Nota ꝙ valeo qn̄ preciū denotat construit̄ cum gtīo denotantē p̄ciū indeterminatū. vt in Digesto Julius ait. Fundū tanti valere quanti vendi potest. Et Gregoriꝰ dicit. Regnū celorū tanti valet quantū habes. Construit̄ etiā cū actō denotāte p̄ciū īdeterminatū vl̄ determinatū vt ī Gen̄. Terra quā postulas trecētos siclos argenti valet. Cōstruit̄ etiā cū ablatiuo

Vallo as. a. p. i. circūdare. circūsepire munire. ⁊ ꝓprie vallo vel vallis. ⁊ dr̄ a vallū. Inde h̄ vallatio onis. i. paloꝝ circūdatio in villa vel in vrbis obsidione. Item vallo cōponit̄ Cōuallo las. Circūuallo las.

Vanito tas. a. p. id est vanitatem dicere. vl̄ vanitando laudare. Et dicit̄ a vanus.

Vaneo nes. n. s. i. esse vel fieri vanū vel deficere. ⁊ caret supino. Iн̄ vanesco cis. inchoa. et ꝓ. va vnde Ouidius de sine titulo. Carmine lesa teres sterilē vanescat in herbam.

Vaporo ras aui. a. p. i. calefacere vrere vl̄ vaporem emittere. vel vaporando emittere. Inde hoc vaporamen inis. ⁊ h̄ ⁊ hec vaporabilis ⁊ hoc le. Et h̄ vapor poris. i. calor fumus. Itē vaporo componit̄. Euaporo ras. ⁊ ꝓdu. po. Unde Virgiliꝰ enei. xj. Succedūt matres ⁊ templum thure vaporant.

Vapulo las laui. idem est quod verberari. ⁊ dr̄ a vapor. ⁊ est verbū neutrū passiuuꝫ. ⁊ signat passionem ab alio illatam. ⁊ ꝯstruit̄ cum ablatiuo interposita a. vel ab. vt vapulo a te. id est verberor. Et hꝫ vocem actiui ⁊ sensuꝫ passiui. sicut ⁊ veneo. nubo. exulo. ⁊ ꝓdu. p̄mam vapulo. Et scribitur per vnum p.

Varico as. vel varicor aris. i. transire. vl̄ ambulare vel diuertere vel deflectere ⁊ curuare vl̄ claudicare. ⁊ dr̄ a varica. vl̄ a varix. Et cōpo-

nit᷑. Diuarico cas. ⁊ diuaricor caris. i. discutere vel separe diuersum facere vl᷑ diuersificare vel diuersis modis varicare. Preuarico. cas vel poti⁹ p̄uaricor caris. i. transgredi.
Vario as aui. a. p. i. facere variū diuersificare. Jn̄ variatum aduer. ⁊ h̄ ⁊ h̄ variabil᷑ ⁊ h̄ le. inde variabilit᷑ aduer. ⁊ hec variabilitas tatis Jtē vario ɔponit᷑. Diuario as. i. diuersis modis variare. ⁊ cor. va.
Vasto stas staui statū. a. p. i. destruere dissipare diripere p̄dari spoliare. Jn̄ h̄ vastator toris. ⁊ hec vastatio onis. ⁊ vastatorius ria riū. Et hic ⁊ h̄ vastabilis. ⁊ hoc le. ⁊ hoc vastamen. inis. ⁊ pdu. pe. Jtē vasto cōponit᷑ Deuasto stas puasto stas.
Vaticinor aris atus sum. d. p. i. diuinare ꝓphetare. ⁊ dr̄ a vates ⁊ cano nis. Jn̄ hoc vaticiniū. i. diuinatio ꝓphetatio. Et hic vaticinus ni. deus paganoꝝ. ⁊ cor. ti.

V ante B

Vberto tas. n. p. i. abundare.
Vbero ras. n. p. i. abundare. ⁊ dr̄ ab vber ꝓ abundātia. ⁊ cōponit᷑. exubero as. i. valde vberare supabundare. Jn̄ exuberans tis. o. ge. Jn̄ exuberanter tius sime. aduer. ⁊ hec exuberantia tie. i. abundantia affluētia. Jnubero ras. i. valde vberare. Jtem vbero ras pōt deriuari ab vber ꝓ mamma. et tunc vberare id est lactare. Et inde exuberare. i. ab vbere segregare. ⁊ inubero ras. i. lactare. Et sm̄ h̄ vbero est actiuum cū suis cōpositis

V ante D vel E

Udo das. n. p. i. balneo madefacio. ⁊ pdu. primā. vn̄ Phisolog⁹. Qui cū nos vdat sumpta venena fugat
Uecto tas taui. i. frequenter vl᷑ sepe vehere. Et dr̄ a veho. Jn̄ vectito tas aliud freqn̄.
Uegeto as aui. a. p. i. viuificare sustentare tegere. aliquā vim ⁊ valitudinē cōferre. ⁊ dr̄ a veget⁹. Jn̄ hic ⁊ hec vegetabilis ⁊ h̄ le. ⁊ h̄ vegetatio onis. ⁊ cor. ge.
Uebo his vexi vectum. a. t. i. portare vel mouere vel ducere
Uelificor aris. d. p. i. velis tensis nauigare. vel vela facere vel erigere vel velum puum facere. ⁊ dr̄ a velum ⁊ facio. ⁊ cor. fi. Jnuenit᷑ etiam velifico cas.
Uelitor aris. d. p. i. ad modū velitū pugnare vl᷑ p̄lium incipe. Et ponit᷑ simpl'r ꝓ pugnare vel certare vel altercari
Uellico cas caui. a. p. id est summatim vel pan latim vel apparenter vellere. Jnde vellicans tis. o. g. Unde Amos. vij. Sz armentarius ego sum vellicans syncomoros. ⁊ corr̄. li. Et est verbū apparitiuum. Et formar᷑ vellico a vellis secunda persona de vello lis. is mutata in i. cor. ⁊ addita co. vt vello vellis vellico
id est appareo. vel videor vellere. sicut albico as. i. appareo albere
Uellito tas. i. freq̄nter vellere. Et nota ꝙ vellito as. p t scriptū ē frequētatiū. h̄ vellico cas p c. nō pōt esse freq̄ē. qz nullū frequentatiū desinit in co. h̄ in to vel in so vel in xo.
Uello lis velli vel vulsi vulsum. a. t. i. eradicare carpere.
Uelo las laui. a. p. i. tegere coopire obumbrare Jnde hoc velamē inis. ⁊ hoc velamētum ti. ⁊ hoc velum veli monacharum. ⁊ pducit ve. Unde Uirgil'. enei. v. Cetera populea velat᷑ fronde iuuentus
Uendico cas. a. p. i. acquirere. Uel vendicare est coram iudice dicere vel intendere rem eē suam vel allegare. vt qn̄ qs dicit sic. Hec res est mea. ⁊ idem est qđ intentare. s. ad hoc solum intendere. vt res declaret᷑ sua. ⁊ sibi dominiū applicet᷑
Uendito tas. id est vendere cupio. frequenter vendo
Uendo vendis vendidi venditū. a. t. i. venūdare vel rem ꝓ certo p̄cio dare. vel rem suā alienam facere. p̄cio valoris estimati recepto vel recipiendo. ⁊ dr̄ a venū sup. ⁊ do das.
Uenefico cas. a. p. i. venenū facere. ⁊ dicitur a venenū ⁊ facio. Jnde veneficus ca cū. penl'. cor. i. miscens ⁊ faciens venenū. ⁊ hic ⁊ hec venefex cis. in eodem sensu
Ueneno nas. id est toxicare venenū facere. vel veneno inficere. Jnde venenatus ta tum. ⁊ venenarius ria rium. qui facit venenum. Uenenatum est in quo est mixtū venenū vt potio. Uenenosum xō est in quo natum est. vt herba serpens
Ueneo nis niui vel venij p sincopā venū id est vendi. Un̄. i. Coꝝ. x. dicit apostolus. Omne qđ in macello venit. id est venditur manducate. Et est verbū neutrum passiuū sicut ⁊ vapulo exulo ⁊ nubo. quia habet vocem neutri ⁊ significationem passiui. vt veneo a te. id est vendor. ⁊ componitur ex venum ⁊ eo. ⁊ producit primā sicut venum. Sed venio is corripit ve in presenti. Unde quidam. Letus scurra venit sua cautio est bene venit. Jdē. Cur mi ser iste venit nisi numis femina venit. Et vt dicit Pristian⁹ in decimo li. Ueneo sm̄ analogiam venitum deberet facere supinū. ꝓ q̄. venū magis in vsu est.
Ueneror aris verbū cōmune. id est adorari honorare vel honorari. decorare vl᷑ decorari cū veneratōe. quia ꝓpter pulcritudinem fit sepe veneratio. ⁊ dr̄ a venus. ⁊ cor. pe. vn̄. Quem veneror decoro. quē pulcrū reddo decoro
Uenio nis ni tū. n. q. i. versus nos ire. Sed vadere a nobis. ire q̄ libet. ⁊ cor. ve. in p̄nti. sed in preterito eam pducit. vnđ. Jam venit hora veni mea tu venias ego veni. Uenit aliqn̄ est impsonale. ⁊ reqrit gtīn̄. ⁊ pertinet ad

recordationē nō simpliciṫ. sed ex adiūcto. vt mihi venit in mentē lectiōis quā dixit magr̄ id est recordor. Simplr̄ tñ nō bñ dr. Platonis venit. i. recordor platonis.

Venor aris. d. p. qd̄ sepe inueniṫ p illicere. vl' decipe. qr in venando fere sepe decipiunṫ et pdu. ve. vñ Orati⁹ in epi. Non ego ventose plebis suffragia venor.

Ventilo las laui. a. p. i. ad ventū dispergere et pijcere exquirere excutere inuestigare. ꝛ cor. ti. Vñ Juuenal' in. j. li. Ventilet estiuū digitis sudentib⁹ aurū.

Venundo das venundedi venundare. i. vendere. ꝛ dr̄ a venū ꝛ do. ꝛ cor. pe. venūdedi venūdare vel venūdatū. Jñ venūdat⁹ ta. tum.

Venusto. stas. i. decorare decusare ꝛ cōponiṫ Cōuenusto stas deuenusto stas. i. valde venustare vel venustatē auferre.

Verbero ras raui ratuꝫ. a. p. i. pcutere flagellare. ꝛ cor. be.

Verbosor aris. d. p. i. vbose ꝛ multū loqui.

Verecundor aris atus sum. d. p. id est erubescere.

Vereor reris veritus sum. d. s. i. verecundari. vl' timere ꝛ ppie cū exhibitione reuerentie. qr verorꝫ est vereri. Vereor componiṫ. Reuereor ris ritus sum. Jñ reuerend⁹ da. dum. et cor. ve. Vñ quidam. Cum dicit de se nō se tñ esse vereṫ.

Vergito tas. i. freqnṫ vergere. ꝛ cor. gi.

Vergo gis vsi vsum. i. declinare vl' infundere vl' vsare. Jñ vgito tas. ꝛ vso sas. fre. Item vgo cōponiṫ. Cōuergo gis. cōuersi cōuersū id est infundere. Vergo ꝛ ei⁹ cōposita sṫ actiua. lꝫ sepe inueniant in absoluta ꝛ passiua significatione. vt vergit. i. inclinaṫ.

Vermiculo las. a. p. i. scaturire ad modū vermium effluere.

Verno nas naui. n. p. i. clarere splendere vl' delectari florere sicut in vere. ꝛ dr a vernus. inde vernans tis. o. g. ꝛ vernanter aduerb. ꝛ h vernantia tie.

Verrito tas. i. frequenṫ verrere. ꝛ cor. ri.

Verro ris verri versū. a. t. i. verrē trahere vl' tergere purgare radere scopere.

Versificor aris atus sū. d. p. i. versus facere. Et dr a versus ꝛ facio. Jñ vsificator oris. ꝛ vsificatori⁹ ria riū. ꝛ Jñ h ꝛ h versificabil' ꝛ hoc le. Et versificus ca. cū. ꝛ cor. pe.

Versito tas. i. frequenter versare

Verso sas. i. frequenter vertere vel frequenter vergere vl' frequenṫ verrere. Nā est frequentatiuū pdictorꝫ triū vborꝫ q̄ faciūt supinū in versum. s. vergo gis vsi vsum verto tis verti versū. verro ris verri vsum. Vñ Verto facit versum verro vergo quoqꝫ versum.

Verto tis ti sum. a. t. i. pmutare trāsmutare vel uere.

Vescor ceris vesci. d. t. i. comedere vl' vti cibo. ꝛ cōponiṫ Cōuescor sceris. euescor sceris. et caret supino. ꝛ etiā suppletione pteriti. debe ret tñ facere vescitū pe. cor.

Vespero ras. i. vesperū facere vbū exempte actiōis soli deo cōueniens. ꝛ dr a vespera. Jñ vesperasco cis incho. i. vesper incipit sero fit ꝛ cōponiṫ Aduespero as. Jñ aduesperasco scis incho. Et sṫ oīa ista vba excepte actiōis soli deo cōuenientia. Potest etiam dici dies aduesperat vel aduesperascit. i. tendit vel incipit tendere ad vesperam. Et aduesperascit impersonaliter. id est vespera appropinquare incipit.

Vestigio as. a. p. i. vestigijs inquirere ꝛ p sincopam vestigo as. i. inquirere explorare. ꝛ dr vestigare quasi vestem agere. Et componitur. Inuestigo gas. i. inquirere. ꝛ pdu. sti. Vnd̄ Theodol⁹ Grecorꝫ prim⁹ vestigat grammata Cadmus

Vestio stis stiui stitum. a. q. i. induere. Jñ hvestit⁹ tus tui. Et intelligiṫ lati⁹ cultus q̄ꝫ vestit⁹. Itē habit⁹ ad naturā ptinet cultus ad hoīes. Itē vestio cōponiṫ Cōuestio stis. deuestio stis. i. vestes auferre. ꝛ ē ɔtrariū ad inuestire. Inuestio stis Reuestio stis.

Vetero ras aui. n. p. i. antiquare senere Et ē absolutū lꝫ inueniaṫ transitiue positū. vt Veteraui capam meā. ꝛ dr a vet⁹. Jñ veterasco cl incho. Item vetero cōponiṫ. Conuetero as. inuetero as. Vñ ps. Inueteraui inter oīs inimicos meos. ꝛ cor. te. Itē a vetero dr veterat⁹ a. ū. i. antiquus.

Veto as vetui vetitū. a. p. i. phibere. Et q̄ cōponiṫ. Eueto tas deueto tas. ꝛ cor. ve. vñ Oui di⁹ de reme. Quin etiā accendas vicia irritasqꝫ vetando. Inueniṫ etiam vetat⁹. ta. tū. Vñ Act'. xvj. Vetati sṫ a spūssancto loq̄ vbū dei in Asia.

Vexo as. aui. p. i. portare molestare turbare. et dr a veho his

V ante I

Vibro bras braui bratū. n. p. i. resplendere vel crispare concutere ad iaculandū. vl' iaculari sicut solemus facere de minuta virga ꝛ diciṫ a vibix.

Vicino nas. n. p. i. more vicini se gerere. vl' propinquare vl' iungere. Et cōponiṫ auicino as id est disiungere aduicino nas. i. adiungere vl' appropinquare. Vicino p iungere. ꝛ eius composita fm hanc significationē actiua sūt aliter neutra.

Victimo mas. n. p. i. sacrificare immolare.

Victo tas. i. victū querere. Jñ victās antis. o. ge. i. victū querens ꝛ victito tas fre. pe. corr. Pñt tñ ista esse frequentatiua de viuo viuis Vñ Pap. di. Victantes viuentes.

Video des. vidi visū. a. s. Videm⁹ natura aspicim⁹ voluntate intuemur cura Et cor. vi in p

senti. sed in p̄terito ⁊ supino eā ꝓ. Vn̄ Multi videre q̄ nō licuere videre.

Vido dis. a. t. i. videre. ⁊ dr̄ a video des. vn̄ catho. Hic vide ne rursus leuitatis crimine dānes. In hoc v̄su nō pōt esse vide impatiuus scd̄e cōiugatiōis. qr̄ impatiuus scd̄e cōiugatiōis desinit in e. ꝓdu. sed hic de cor. Et componit̄ diuido. dis.

Vieo es eui etum. n. s. i. vincire largire. ⁊ dr̄ a vi. ⁊ eo is. Et cōponit̄ Auieo es. i. alligare. valde ligare. Et est neutrū vieo solo defectiuū. Nā fm̄ vsum nō hꝫ p̄teritū nec supinū. vnde est defectiuum verbū. licet fm̄ artem exigat ratio vieui etum.

Vigeo ges vigui. i. esse in vigore. vl̄ hr̄e vigorē posse viuere valere roborare fortē esse. Et videt̄ descendere a vireo. qr̄ viridis ⁊ iuuenilis etas solet vigorē cōferre. Iñ vigens tis oīs ge. Et dicunt̄ vigentes v̄tute pleni. floridi q̄i vim agentes ⁊ cor. vi. Vn̄ q̄dam. Doctrine pater est vsus doctrina scolaris Intercisa perit cōtinuata viget.

Vigilo las lare. n. p. i. a somno abstinere vacare studere custodiā adhibere circūspicere. inde vigilans antis. o. g. Inde hec vigilantia tie. est cor. gi.

Vileo les lui. n. s. i. esse vel fieri vilem. Iñ vilesco cis incho. ⁊ caret supino. ⁊ producit vi vnde Esopus. Nobilitat viles frons generosa dapes. Item Auian⁹ Scire suū vilet q̄ sapit atq̄ silet. Et scribit̄ ꝑ vnū l. Sꝫ villa le ꝑ duo l.

Villico cas caui. n. p. vl̄ fm̄ modernos potius in deponenti genere villicor caris. i. ville curam gerere. ⁊ generalit̄ oīm possessionū ⁊ familiariū rerum. Et villicare seu villicari officiū villici exercere. vn̄ Lu. xvj. Iam em̄ non poteris villicare. ⁊ cor. li. fm̄ Hug. Pris. v̄o dicit. A villicus etiam villico vel villicor dicebant antiqui.

Vincio cis vinxi ctū. a. q. i. ligare. Apd̄ antiq̄s tn̄ inuenit̄ vinciui citū.

Vinco cis ci ctū. a. t. i. superare victoriā habere. Qr̄ autem dicit̄ vincere quasi vi capere ety moligia est.

Vinculor aris. i. ligare. ⁊ dr̄ a vinculum.

Vindemio as. a. p. i. vites putare. vl̄ poti⁹ vuas a vinea auferre.

Vindico as aui. a. p. i. vlcisci. Sꝫ differunt. q̄a vindicat aliquis cū a ꝑiculo liberat. vlciscit̄ cū ille mala passus est. vel vlciscor iniuriam factam. Vindico ne fiat. Item vindico illuꝫ q̄ iniuriam sustinuit. Vlciscor illū q̄ intulit. i punio. ⁊ cor. di.

Vio as aui. i. iter facere in via ire. ⁊ dr̄ a via. ⁊ cōponit̄ Conuio as. i. simul viare. vel ꝑ viam aliquē cōducere. Deuio as. i. errare. Obuio as Vio ⁊ eius cōposita neutra sunt. p̄ter conuio qd̄ est actiuū ꝓ cōducere.

Violo as aui. a. p. i. vim īferre corrūpe cōtaminare. polluere ꝑcutere. ⁊ dr̄ a vis

Vireo res rui. n. s. i. esse vel fieri viridē habere viriditatē. Iñ viresco scis inchoa. ⁊ caret sup̄. ⁊ cor. vi. ꝫ hec vires ꝓ. vi. Vn̄. Non ꝓbitate vires nisi sint animi tibi vires

Virgino nas. a. p. id est caste viuere in virginitate degere. more virginis se habere. Itē virginare est fricare ⁊ facere hmōi que pn̄t fieri salua virginitate. ⁊ dicitur a virgo. ⁊ componitur deuirgino nas. id est virginitatem auferre. ⁊ cor. gi.

Virisso sas. id est viriliter agere. vel virilit̄ superare.

Viscero as. in simplici non est in vsu. a quo cōponitur conuiscero as. id est simul in viscere aliquid ponere. deuiscero as. euiscero as. in eodem sensu. id est aliquid extra viscera ponere. Inuiscero as. id est in viscere ponere. Et sunt actiua. ⁊ cor. sce.

Visco as. a. p. i. visco implicare. visco aliq̄d capere. ⁊ dr̄ a viscus ci.

Viso sas. i. frequenter videre. a quo visito as. aliud frequen. i. frequenter visare.

Viso is si v̄bū desideratiuū. i. cū desiderio videre. Et deberet facere supinū in sitū ꝓ. sicut facesso sis facessi sitū. ꝫ non est in vsu. Et formatur viso. a visu supi. de video.

Vicio as aui. a. p. i. corrūpere. quia vicia corrūpūt. ⁊ dicit̄ a viciū. ⁊ cōponit̄ cōuitior aris. Item deuitio as. id est valde vitiare. vel vitia vel mores malos auferre. Itē inuitio as. id est valde vitiare. reuitio as. i. iteꝝ vitiare. vel vicia auferre

Vito tas taui. a. p. i. cauere effugere quicq̄d cōtra vitā ē declinare. ⁊ dr̄ a vita. Inde hic ⁊ hec vitabilis ⁊ hoc le. ⁊ vitabūdus a ū. ⁊ componitur deuito tas euito tas. i. valde vitare. Inuito as. quasi nō vitare. i. ad se trahere ⁊ allicere ⁊ ꝓd̄. vi. vn̄ Oui. de reme. Que nimis apparēt retia vitat auis. Itē. Vt tibi sit vita ꝓ posse ꝑicula vita. Itē vitto tas. i. vitta ornare. ⁊ tūc dr̄ a vitta te. ꝓ infula

Vitulor aris. i. letari voce. ⁊ dicit̄ a vitula q̄dam dea. s. leticie vel victorie. Item vitulor laris. i. cum vitula cantare. ⁊ tūc dr̄ a vitula quodam instrumento musico.

Vitupero as. i. in vitam alicui⁹ aliq̄d turpe parare. cōtumelijs afficere. aliquid turpe obijcere. ⁊ dr̄ a vita ⁊ paro as. Inde hic ⁊ hec vituperabilis ⁊ hoc le. ⁊ vituꝑabiliter aduer. ⁊ hoc vituperiū. ⁊ vituperosus sa sum.

Viuo uis xi ctū. n. t. dr̄ a vireo res. Inde viu⁹ ua uū. ⁊ ꝓdu. ui. Vnde. Viuo facit vixi vicī vinco vincio vinxi.

V ante L

Vlcero ras raui. a. p. i. vulnerare vlcus facere vlceribus implere. ⁊ dicitur ab vlcus. ⁊ cōpo

nit᷑ Deulcero ras.i.valde vl᷑ deorsum vlce-
rare vel vlcera auferre. Exulcero as.in eodē
sensu.⁊ cor.ce.
Ulciscor sceris vltus sum.d.t.i. punire vel vin
dicare. Jn̄ h̄ vltor oris.⁊ hec vltrix cis.
Ulno nas.a.p.i.vlna mensurare
Ululo las aui.n.p.i.flere vl᷑ fortit᷑ clamare vlu
latū facere.⁊ est lupoꝝ ⁊ feminaꝝ. Jn̄ h̄ vlu-
latꝰ.i.lamentū meror fletꝰ.⁊ vlula le.q̄dam
auis q̄ flere videt᷑. Ululo scribit᷑ ꝑ vnū l.Et
cor.pmā ⁊ penul. Un̄ Ouid.epi. Pronuba
ctesiphone thalamis vlulauit in illis
Umbro as aui.a.p.i.obscurare cooperire ⁊ cō
ponit᷑. Adumbro as.i. valde vmbrare. Jnū
bro as.i.cōtra vl᷑ valde vmbrare. Obumbro
as.i.vndiq̄ʒ vmbrare

V ante N

Uncio as.a.p.i.vncia vl᷑ vncijs mensurare. Et
dr̄ ab vncia
Uncio cis cire.a.q.i.alligare.vnco capere. Et
dr̄ ab vncus
Unco cas caui.a.p.i.curuare. Et cōponit᷑. Ab
unco as adunco as redunco as subunco cas
id est post vel parū vncare.
Uncto tas freq̄n. ab vnguo. A q̄ vnctito tas.
aliud frequentatiuū
Undo das daui.n.p.nō est in vsu.ꝫ ab eo cōpo
nit᷑ abundo as.exundo as inundo as redū-
do das.⁊ ꝑdu.penul.vndabit vndabā vnda
re.⁊ cōsilia. Uel ꝫm quosdā p̄dicta verba cō-
ponuntur ab vnda ⁊ prepositionibus. Et est
vndare abūdare bulire in cumulos surgere.
Ungo gis xi ctū.a.t. Jn̄ vnctꝰ cta ctū.⁊ cōpo-
nit᷑ Adungo gis inungo gis. perungo gis.
Et vnguo in prima ꝑsona habʒ v.post g. sed
in alijs non
Unifico cas caui.i.vnū facere vnire.
Unio nis niui.⁊ vno as aui.i.cōgregare cōiun
gere. Sed vnare.i.congregare.ita vt ex con
gregatis nō efficiat᷑ vnum. Sʒ vnire est ita
cōiungere vel congregare.q̄ ex cōiunctis ef
ficiat᷑ vnum.quasi vnū ex duobꝰ vel pluribꝰ
facere.et componit᷑ Adunio nis counio nis
Et similiter componit᷑ Aduno as.couno as
Unio ⁊ vno actiua sunt cum suis composit̄
⁊ ꝑducunt u.

V ante O

Uo vis vi vere.i.humere vl᷑ potius madeface
re.⁊ dr̄ ab vua.⁊ est u.vocalis in vo vis.⁊ nō
est in vsu. Et inde ꝫm quosdam interposita b
componit᷑ cū in.vt imbuo buis. Et cū con vt
combuo buis.
Uociferor aris atus sum.d.p.i.clamare voceʒ
ferā emittere.⁊ ponit᷑ q̄nq̄ʒ simpl'r ꝑ loq̄. Jn̄
vociferans tis.omnis generis.⁊ cor.fe.
Uocito tas.i.frequent᷑ vocare.⁊ dr̄ a voco.vn̄
Plena dolis multis vocitat᷑ subdola vulpes

Uoco cas caui.a.p.i.appellare.nōīare clama-
Et componit᷑ aduoco cas.i.ad se vocare. cō
uoco cas.i.simul cū alio vocare Euoco cas.
id est extra vocare. Jnuoco cas.i.in auxiliuʒ
vocare. Aduocat᷑ patrociniū daturus. Jnuo
catur p̄stiturus auxilium. Euocat᷑ p̄stiturus
obsequium. Prouoco cas.i.irritare porro.
vocare Reuoco cas. Seuoco cas.i.seorsum
vocare.⁊ cor.vo.
Uolito tas.i.frequenter volare.
Uolo las.n.p.est q̄si volas mouere.⁊ dr̄ a vo-
la q̄d est media pars alarū in auibꝰ. Et cor.
vo. Unde Facetꝰ. Nā cito sepe ruit q̄ supra
astra volat.
Uolo vis vult. Et est volo minꝰ q̄ȝ opto ⁊ opto
minus q̄ȝ cupio. Et cōponit᷑ malo mauis ma
uult.nolo nōnis nōuult.volo ⁊ eius cōposi-
ta neutra sunt ⁊ irregularia.⁊ carent supinis
⁊ faciunt p̄teritū in lui.⁊ carent imꝑatiuis p̄
ter nolo q̄d hʒ noli ⁊ nolite.⁊ cor.primā vo-
lo sed ꝑdu.eā nolo.vn̄ Longet᷑ nolo sed bre
uiat᷑ o.volo. Et Juuenal᷑. Sic volo sic iubeo
sit ꝑ rōne voluntas.
Uoluo uis lui.a.t.i.girare vel circundare.
Uoluto tas.i.frequenter voluere.⁊ ꝑdu.lu
Uomo mis mui mitū.n.t.i.emittere cibū acce
ptū vl᷑ aliud ꝑ os.
Uoro ras raui.a.p.i.destruere vl᷑ cōsumere edē
do vel bibendo.superflue bona sua dissipare.
Jn̄ vorax acis o.g.⁊ h̄ vorago inis.i. edaci-
tas gulositas. Jtē a voro dr̄ h̄ vorator.h̄ vo
ratrix.⁊ cor.pmā voro.vn̄ in Aurora. Quos
ꝗ̄pe fornacem sentit adesse vorat
Uoso as.dr̄ a vos.sicut tuo tuas.a tu.vn̄. vnū
vosamꝰ falso vereq̄ʒ tuamꝰ.
Uoto tas.i.frequenter vouere. A q̄ votito tas
aliud frequentatiuū
Uoueo es voui votuʒ.a.s.i.sponte ꝑmittere.
destinare.⁊ cōponit᷑. Cōuoueo ues. Deuo-
ueo ues.i.valde vel deorsum vouere vl᷑ ma-
ledicere execrari. Reuoueo es.i. iterū voue-
re.⁊ cor.vo.vn̄ Juuenal᷑ in.iiij. Alter vo si
comedas mactare vouebat.

V ante R vel S

Urgeo es vrsi vrsū.a.s.i.stringere.coercere sti-
mulare. Jn̄ vrgesco scis incho.
Urino nas.id est vrinam facere mingere.⁊ ꝑ-
ducit ri.
Uro vris vssi vstū.a.t.incendere cōburere ⁊ ꝑ
du.u.vn̄ Oratiꝰ in epi. Nec furtū feci nec fu
gi si mihi dicat. Seruus hʒ p̄cium loris non
vreris aio.
Usito as aui atū.i.in vsu hr̄e. Jn̄ vsitatꝰ ta tuʒ
⁊ ꝑ cōpositionem inusitatus ta tū.
Ustrino as.i.cōburere.⁊ dr̄ ab vstrina.
Ustulo as.a.p.t.i.vrere incendere.⁊ dr̄ ab vro
vris.⁊ cor.stu.
Usucapio pis.i.vsu vel consuetudine rei do-

miniū. acq̄rere. Et componitur ab vsus ⁊ capio. ⁊ acuit̄ ca. licet sit breuis. ⁊ vsucapio aliud est ꝑ compositionē. ⁊ aliud sine compositione. q꞉ ꝑ compositioneꝫ pertinet ad quoddā ius. Sed sine cōpositione ꝑtinet ad quemcūqꝫ capiendi vsum.

Usuro ras. n. p. id est vsuram facere. vl̄ ad vsuram dare ſm̄ Hugui.

Usurpo as. a. p. id est ꝯ vsum rape. siue ī vsu habere vel illicite vti. ⁊ dr̄ ab vtor vel vsus ⁊ rapio. Uel vsurpare est cōtra rationē ius vsum vel ꝯsuetudinē cape. inuadere vel presumere

Utor teris. vsus sum. d. t. i. vsum alicuiꝰ rei hr̄e potiri. Inde h̄ ⁊ hec vsualis ⁊ h̄ le. ⁊ vsualit̄ aduer. et hec vsūalitas tatis. Itē vtor cōponit̄ Abutor teris id ē valde vel contra rationē vti. Coutor teris. i. simul vti. ⁊ producit u Uñ Oratiꝰ in epl. Quo mihi fortuna ē si nō conceditur vti.

Uueo es vui. i. humere vel pinguescere. ⁊ dicit̄ ab vua. Inde vuesco scis inchoatiuū.

Uuido das. i. vuidū vel humidū facere.

Uulgo gas. a. p. id ē vulgo publicare. ⁊ dicit̄ a vulgus. Et cōponit̄. diuulgo gas. i. diuersis mōis vulgare. peruulgo as. i. ꝑfecte vulgare.

Uulnero ras. a. p. id ē sauciare. vulnꝰ facere. ⁊ componitur cōuulnero as. ⁊ cor. pe. vñ Pāphilꝰ. vulneror ⁊ clausū porto sb̄ pectore telū

Uxoro ras. id est vxori coniungere.

Z ante E

z Zelotypo pas. n. p. i. inuidere vl̄ suspitionē hr̄e. ⁊ dr̄ a zelotipus. ⁊ pōt poni trāsitiue. vt Iste zelotypat vxorem suā. i. hꝫ suspitionē de ea.

Zelo las laui. a. p. i. amare. vel inuidere. vl̄ emulari. siue sequi ꝑ inuidiā. siue ꝑ amorem. Unde ps̄. Zelaui sup̲ iniquos pacē pctōꝝ vidēs Et zelor zelaris. d. p. in eodem sensu scꝫ amare vel inuidere vel emulari. siue sequi ꝑ inuidiam. siue ꝑ amorē. Unde. iij. Regū. xix. Dixit helias. Zelo zelatus sum.

Finit secunda pars huius vocabularij. videlicet de verbis.

Dum de nomi-

c nibus acverbis ceterisqꝫ declinabilibꝰ ꝑtibus duplici alphabeto satis cōmode tractauerimus visum ē ꝑ q̄utile fore si ꝑtes q̄ꝫ indeclinabiles nō minori cura expediremꝰ. Aduerbia videlicꝫ ꝑpositiōes. ꝯiunctiōes ⁊ interiectōes. q̄s q̄dē ꝑtes ita vt supra fecimꝰ itidē in ordinē alphabeti redigimus. vt earū facilior fiat inquisitio.

De A

a Prepositio est ⁊ interiectio ⁊ nomen. Prepositio. vt a summo ad imū. Interiectio. vñ Uirg. in buc. A tibi ne teneras. glacies secet aspa plātas. Et nos possumꝰ addere illud Hteremie. vbi a ē interiectio dolētis videlicet A a a dñe deꝰ. ecce nescio loqui. Itē nomen est ipius lr̄e.

A. ab. abs. e. ex eādē fere significationē habēt. nā dispositiones locales. temporales ⁊ ordinales signāt. Sed in h̄ differūt. q꞉ a e consonāte sequēte. plerūqꝫ ꝑponunt̄. Ab vero ⁊ ex vocali. ⁊ alijs nō asperis cōsonantibꝰ. Abs autem. c. q. t. sequentibꝰ ꝑponit̄ tam in appositione q̄ꝫ in compositione.

Ab ꝑpositio. omnibus in compositione preponitur litteris absqꝫ c. vel. q. vel t. Unde Ab si componis elementa queqꝫ sequūt̄. c q t. tm̄ simul he tres excipiuntur.

Abgregatim. id est dispersim.

Abiecte aduer. id est viliter. contemptibiliter.

Abintestato aduerb̄. i. sine testamento. vt Iste mortuꝰ ē abintestato. i. sine testamento.

Abusiue aduerbi. q̄litatl̄. i. improprie. quod ab vsu recedit ſm̄ Pap̄.

Accentuatim aduer. id est ꝑ accentus.

Acceleranter. i. festinanter. velociter. cito.

Accurrate. aduerbium. id est diligenter studiose curialiter.

Acriter. aduer. i. fortiter. crudeliter.

Accidiose. i. tediose. moleste. triste.

Ac. atqꝫ. ⁊ etqꝫ. idem sunt.

Acsi. id est. tanq̄ꝫ. vt Ille est dispositus acsi vellet mori.

Actenus aduerbiū. i. hucusqꝫ. vsqꝫ nūc. Et componit̄ ex ac aduerbio. ⁊ tenus. ⁊ caret aspiratione. ⁊ cor. penultimam. Quando aūt sunt due partes aspiratur. ⁊ acuitur te.

Acutim aduerbium. id est acute.

Ad est ꝑpositio. ⁊ significat diuersas circūstantias. Qn̄qꝫ notat circūstantiā localē vt vado ad ecclesiā. Qn̄qꝫ temporalē vt ad pasca. qn̄qꝫ ꝑsonalem. vt Uenio ad te. Qn̄qꝫ numeralem. vt Ille expendit denarios vsqꝫ ad vnuꝫ. Qn̄qꝫ primitatem. ⁊ tunc ponit̄ ꝓ iuxta. qn̄qꝫ causalem. vt cum dr̄ ad quid venisti. Iteꝫ notat similitudinis circūstantiā vt Nos habet ad porcos. id est ad similitudinē porcorū Itē signat circūstantiā cause finalis. ⁊ tūc ē idem quod ꝓpter. vt ille pugnat ad palmam. id est ꝓpter palmam. id est ꝓpter victoriam. Itē ponitur ꝓ contra. vt ibi. Ferit ad petraꝫ coquus ollam. id est contra petram. Iteꝫ ponitur ꝓ super. vt ad ripam iordanis. Itē ponitur ꝓ ꝓpe. vt Hic iacet ad portam. id est ꝓpe. Et nota qꝫ ad prepositio sequentibus his nouem litteris in compositione mutat d. in illas. scilicet. c. f. g. l. n. p. r. s. t. Unde. Cor flās. le. nis. pir. ra. sal. ta. ad sibi mutat. Tollitur inde tamen si sequitur consona post s.

Adeo aduerbiũ.pe.cor. Unde Grecism⁹. Dic adeo tm̃ dicas adeo quoq; certe. Affirmatiue quoq; dicas ⁊ quantitatiue. Papias võ dicit. Adeo id est valde.intantũ p̄terea certe

Adhuc aduerbium.in locutiõe affirmatiua notat continuationem preteriti status ⁊ priuat durationem.vt Petrus est albus.ad huc.id est ante hoc tempus fuit albus. et non est in albedine duratiuus. Quandoq; vero ponit̃ in locutione negatiua. ⁊ notat remotionez p̄sentis status ⁊ ponit futurum esse.;vt Antixp̄us non est adhuc sed erit in futuro ⁊ sic ponitur expectatiue.

Admodum aduer.pe.cor.id est valde. Et nota q̃ prepositio cum casuali loco aduerbij reperitur.vt admodum amodo.

Aduersus ⁊ aduersum ponunt̃ ꝓ aduer.qualitatis vel loci vt aduersus vel aduersum illũ. ⁊ ponitur indifferenter.

Adusq; tribus modis exponit̃.p̄mo.i. sepe vt feci hoc adusq;.i.sepe. Scd̃o est determinatiuũ tp̄is ⁊ tunc idem est q̃ donec.vt Expectauit adusq; fect.id est donec. Tercio determinat locũ.vt volo currere adusq; id est ad istũ locum.

Affabre.i.valde caute.ingeniose.

Affatin.i.abunde.largius aduer.intentiuuz.⁊ corripit fa.⁊ dr̄ a fatos ſm Pap̄.⁊ scribitur ꝑ n.⁊ vnũ f.⁊ acuitur in fine. Inuenit̃ etiam affatim pe.acũta.⁊ scribit̃ ꝑ m ⁊ geminũ ff.et non acuitur vltima.⁊ dr̄ ab affatus ta tum. licet regularius esset affatuatim. ⁊ tantũ valet quantum facunde. Unde in Grecismo dicit̃. Si dicas affatim tibi signabit abũde. Dicas affatim facunde significabit. Est a fatos primi caput.affatusq; secundi.

Affectuose sius sime aduerbium.id est cupide desideranter.

Afforis aduer.loci.pe.cor.signat de loco ⁊ i loco.⁊ componitur ex ad foris.

Age aduerbium hortantis ſm Papiã. Uel potest esse verbum.id ẽ dic.fac.incipe. Et scias q̃ age ⁊ agite non discernunt numerum quãdo sunt aduerbia. ꝫ indifferenter dicit̃ agite vni vel pluribus.

Ageratim.i.cumulatim.augmentatim.

Aggestim aduer.i.cumulatim.adunatim. Uñ ij.mach.xiij. Aggestim vndiq; hñs cineris.

Agiliter.i.velociter.cito.mobiliter.

Al's.i.in alio tp̄e aduer.temporis.vel al's.i. in alio loco aduerbiũ loci. Uel al's.id ẽ alit̃ aduerbiũ qualitatis.

Alibi.id est in alio loco.aduerbium loci.

Alicubi aduerbiũ locale ⁊ signat in loco.⁊ componitur ab alius ⁊ vbi.interposita c. deberet enim dici alibi.⁊ vt dicit Pap̄. Alicui.id ẽ vspiam in alio loco.

Alicunde aduerbium loci.i.de aliqua parte.

Alio aduer.loci ab alius.⁊ acuitur in fine.

Alioquin.i.alter aduer.qualitatiuũ.⁊ dicitur alius ⁊ quin ſm Huguitio. Pap̄.dicit Alioquin q̃ si minus.q̃ si nõ.vel aliter.si alio modo feceris coniunctio rationalis vel collectiua.ita dicit Papias.⁊ ꝓdu.pe. Unde Oratius in.v.sermonũ. Quod mechus feret aut sicarius aut alioquin.

Aliorsum aduerb.loci signat ad locum id ẽ versus aliam partem.⁊ dicit̃ ab alio aduerbio ⁊ versus vel orsum.

Aliquãdin.id est aliquãtisper. Et componitur ab aliq̃tum ⁊ diu ſm Hug.

Aliquando aduerb.tp̄is.i.interdũ.⁊ dr̄ ab alius ⁊ quando ⁊ acuit li.licet pe.sit longa.

Aliquãtisper.id est aliquantulũ ſm Huguitio. Papias autem dicit. Aliquãtisper.i. aliquã diu ꝑ aliquantulum temporis.

Aliquo ſm antiquos est aduer.loci. ⁊ accentuat̃ in fine. Uel ſm alios iste abltũs q̃ ponit̃ aduerbialiter ⁊ signat ad locũ.

Aliquotiens aduer.numeri.id est sepe.

Aliquorsum.id est versus aliquam partem.

Aliunde.id est de alio loco.

Alterne ⁊ alternatim aduerbium.id ẽ vicissitudinarie.

Alterutrum aduerb.i.mutuo Unde Jacobi.v. Confitemini alterutrum. Inuenitur etiaz alterutrim in eodem sensu.

Altrinsecus pe.cor.i.aliter.⁊ altrinsecus.id est econtrario.vtrinq;. Uñ Prudẽtius in hymno. Respondet ille altrinsecus. Uel ſm Papiam. Altrinsecus dextra leuaq; alterutrum. Unde Genesis.xv. Et vtrasq; partes contra se altrinsecus posuit.

Amaricose.amare idem.

Am prepositio semper inuenitur in compositione.

Amatim.id est amanter.diligenter.

Amodo.id est deinceps.

Amphi greca prepositio latine dicitur circum vel dubium.

Amplexim aduer.id est coniunctim.

Ana grece sursum latine. Est aũt ſm Pap̄.interiectio dep̄cantis ⁊ accentuatur in fine.

Ana etiã dr̄ re. Inde Anapestus pes metricus quasi repercussus.

Angenter.id est constringenter.
